


Celejowic Pauli: Quaestio theologica de sacramentis in genere.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

EX CURSU SACRAMENTALI,

Iuxta Mentem D. THOMÆ, & Commentatorum eius, præcipuè Eximij Theologi,

ADAMI OPATOVII,

in Alma Vniversitate Studij Generalis Cracoviensis, S. Th: Doctoris & Professoris, CANONICI Cracovien:

Ad Intentionem Pientissimi CURSUS eiusdem SACRAMENTALIS FUNDATORIS,

M. MARTINI RADIMINSKI,

Philosophiæ Doctoris, & in eadem Alma Universitate Cracov: Collegæ Majoris, Tratnoviani Professoris, Protonot: Apostolici,

ERVTA,

& PUBLICÆ DISPUTATIONI,



PRÆSIDENTE,

M. RAPHAELE CASIMIRO ARTENSKI,

S. Th: Baccalaureo, ejusdemq; Cursus SACRAMENTALIS RADIMINSCIANI, Professore, S. FLORIANI, Canonico, Curato Pájęcznen:

EXPOSITA;

Argumentis in Contrarium allatis satisfaciente,

M. PAULO CELEIOWIC,

Philosophiæ Doctore, Novodvorsciano Grammatices Professore,

In Lectorio DD. Theologorum

Anno Domini, 1694. Die II. Julij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



Factus est Principatus, super humerum eius.
Cuius Principatus super humerum eius. *Isaiæ* 9. c.

In hæc Verba SS. Patres.

Cùm ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in Sceptrum sibi convertat potestatis, manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia pulchrâ specie, triumphi sui, portabat trophæum. *S. Leo Serm.* 8. *de Pass.*

Crux confert lætitiam Christianis ex Fide, ingerit pœnam Judæis desperantibus ex CRVCE. Illis injuria Filij DEI, æternam contulit mortem, nobis ad perpetuam proficit salutem. *S. Aug. Tomo* 10. *Serm:* 142. *Fer:* 2. *Paschæ. Ser:* 3.



Super hæc Sceptra CRVCIS, EPIGRAMMA.

De Cruce gaudenti, sit opus disquirere, quid sit,
Mens sua læta? an amor? livor an ipsa Crucis?
Nam Crucis Imperium, DEVS quâ Plutona triumphat,
Est posita in humeris, Sceptra timenda, DEI.
AVREA SCEPTRA pijs Hæc, oscula dulcia figunt,
Hostibus ast BACVLVS CRVX EA, dorsa quatit.

Divinam SCEPTRORVM CRVCEM hanc feliciter tenente,

MAGNIFICO, PERILLVSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

J. V. Doctore & Professore, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: & Collegiatæ Vielunen: CANONICO, SS. Omnium Crac: ARCHIDIACONO, Studij Almæ Vniversitatis Cracovien: PROCANCELLARIO, & GENERALI RECTORE.

QVÆSTIO THEOLOGICA.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

V. Septem Sacramenta Nouæ Legis, ex DEI Inſtitutione, ſigna Moralia, à ſignis rerum Sacrarum, tam Veteris quàm Noui Teſtamenti differentia, ex ſenſibilibus rebus & verbis, per modum Materiæ & Formæ coaleſcentia, ad ſalutem pro hoc ſtatu neceſſaria, aliqua, præter gratiam, imprimentia Characterem, producentia ſuos effectus ex opere operato; diſtinctos ab effectibus ex opere operantis, ſint cauſa Phyſica gratiæ nec ne?

CONCLUSIO I.

Septem Secramenta Nouæ Legis, recte definiuntur ſic: Sacrameutum eſt ſignum Sacrum ex Dei inſtitutione, non ſolùm ſignificans, ſed etiam infallibiliter efficiens rem Sacram, ſanctificantem homines.

COROLLARIA.

I. Errant vehementer Hæretici, mutantes quocunq; modo ſeptenarium Sacramentorum numerum.

II. Septem Sacramenta Nouæ Legis, differunt inter ſe Materia, Forma, Neceſſitate, Iterabilitate ac Dignitate.

III. Definitio Sacramenti prædicta, competit ſeptem N. L. Sacramentis, ut ſignum rei Sacræ, & formaliter, & ſignificatiuè & cauſatiue; Sacramentis verò Veteris Legis, tantùm ſignificatiuè futurorum ſeptem Nouæ Legis Sacramentorum, & effectiuè etiam, ſed tantùm quoad aliquos effectus, non quoad omnes produci ſolitos, à ſeptem Nouæ L. Sacramentis.

IV. Res Sacra, eſt Differentia conſtituens Sacramentum eſſe Speciem ſigni, ita, ſicut rationale additum animali conſtituit hominem.

V. Sacramentum, ſignum non naturale, ſed ſupernaturale, eſt

Theoricum, simul & Practicum, quod & significat & confert gratiam.

VI. *Multa eaq; varia, quamuis sint signa Sacrarum rerum, tamen non sunt Sacramenta, ita, vt nec dicantur, nec sint aliquod ex Septem N. L. Sacramentis, nisi dicantur in secunda Sacramenti significatione, de qua dicitur Timot: 3. magnum est pietatis Sacramentum, vt sunt aqua Lustralis, Columba supra Christi Domini Baptismum apparens, linguæ igneæ, supra Discipulos dispertitæ.*

VII. *Iuxta S. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana C. 1. signum est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud quiddam, videlicet illam ipsam rem, quam designat, facit in cognitionem venire.*

CONCLUSIO II.

Septem Nouæ Legis Sacramenta, à signis rerum Sacrarum, tam Veteris quàm Nouæ Legis, differentia, talem producunt gratiam, quæ addit aliquid supra gratiam virtutum & donorum.

COROLLARIA.

I. *Productio gratiæ communis in anima, est alia à gratia, per Christum D. in vsu Sacramentorum constituta, specie distinctos effectus producentium, sicut ipsa etiam specie distinguuntur.*

II. *Gratia Sacramentalis à gratia communiter dicta, non distinguitur realiter, ob vnitatem numericam, sumptam ab vnitate subiecti proximi & immediati, in quo recipitur.*

III. *Illud, quod addit gratiam Sacramentalem, supra gratiam communem, non tantùm esse actuale auxilium Dei, sed etiam aliquid permanenter inhærens animæ.*

IV. *Gratiam Sacramentalem dicimus habitualem, quæ est ipse habitus gratiæ, respectu ad peculiarem effectum Sacramenti, & actualem, quæ est speciale auxilium Dei, quod à Deo confertur, eo loco ac tempore, vbi & quando opus fuerit, idq; ex vi suscepti Sacramenti.*

V. *Gratia continetur in Sacramentis, tanquam in Causa Instrumentali, & tanquam in signo.*

VI. *Paßio Christi Domini, Sacramentorum Veteris Legis, non erat effectrix gratiæ, & ipsorum Sacramentorum, per Abrahamum traditorum, sed solùm Causa Finalis.*

VII. *Gratia in Sacramentis non est tanquam in subiecto, cum Sacramentum sit causa gratiæ per se, non per accidens.*

CON-

CONCLUSIO III.

Res palpabiles & verba, constituunt vnam substantiam Sacramenti cuiuslibet ex septem, ut constituit Materia & Forma vnum Compositum.

COROLLARIA.

I. In omni Sacramento Nouæ Legis, materia remota, consistit in rebus sensibilibus, proxima verò, in vsu actuali rerum sensibilium, ad quodlibet Sacramentum adhibendarum, iuxta præscriptum in Canonibus.

II Non in omni Sacramento Nouæ Legis, requiritur Materia & Forma sensibilis, sed in aliquibus, sufficit locò Materiæ permanentis, actio aliqua externa transiens.

III. Præter Materiam & Formam Sacramentorum, ritè adhibendam, requiritur Intentio recta Ministri, eaq; illa sola, quam intendit Ecclesia.

IV. Intentio Ministri, in administratione Sacramentorum Virtualis, iuxta alios est sufficiens, iuxta nostrum verò Doctorem Actualis adhibeada est tanquam perfectissima.

V. Omnes Sacerdotes curam animarum habentes, obligantur districtè ad hoc, vt debita cum Intentione, debitam Materiam, & Formam, cuilibet Sacramento propriam, adhibeant; iuxta Ritum S. R. Ecclesiæ, præscripium, sub mortali Sacrilegij peccato.

VI. Mutatio aut Materiæ aut Formæ, vel per additionem, vel per diminutionem, vel transpositionem si à Ministro Sacramenti alicuius committatur substantialiter, tunc illud Sacramentum est inualidum. Si solùm Accidentaliter, tunc Sacramentum, validū est, sed committitur peccatum intantùm graue, in quantùm maior in eo sit, vel temeritas, vel negligentia.

VII. Sacerdos administrans quodcunq; Sacramentum, quamuis debitè debitam Materiam & Formam cum debita Ecclesiæ intentione adhibeat, si tamen præter hæc aliquam, suam peculiarem intentionem addiderit, tunc validum quidem conficit, & validè confert Sacramentum, sed peccatum committit, quantitati & qualitati prauæ intententionis correspondens.

CONCLUSIO IV.

Sacramenta Nouæ Legis, necessaria sunt pro hoc statu, cuilibet homini, licèt non omnia, ad salutem æternam.

COROLLARIA.

I. Neceßitas Sacramentorum, consideratur & quo ad se, & quoad tempus.

II. Sacramenta, non sunt ad salutem æternam necessaria, neceßitate absoluta.

III. Sacramenta necessaria sunt ex Hypothesi, supponendo, quòd hæc sint instituta à Christo Domino media, obtinendæ salutis æternæ.

IV. Ante peccatum primorum Parentum, non erant neceßaria vlla Sacramenta.

V. Tempore Legis Naturæ, non erant neceßaria Sacramenta, sed obedientia Legi naturali sufficiebat, pro signis Sacrarum rerum, hominem sanctificantibus, in virtute tamen obedientiæ, à vero Meßia Christo Domino, præfinitis temporibus, pro toto genere humano, adimplendæ.

VI. In Lege Naturæ, pro infantibus, conueniens est, à Deo datum fuisse modum aliquem, quo veluti aliquo Sacramento, morientes Infantes, ab Originali peccato essent liberi: ut S. August. ait Lib: 5. contra Iulianum C. 9. Non est credendum, ante Circumcisionem, famulos Dei (quandoquidem illis inerat fides Mediatoris in carne venturi) nullo Sacramento eis fuisse opitulatos paruulis.

VII Tempore Legis scriptæ, ab Abraham ad Moysen, à Moyse ad Natiuitatem Christi Domini, necessaria erant aliqua Sacramenta & figuræ, distinctiùs præscriptæ à Deo, ad sanctificandos homines, & ad figuranda Nouæ Legis perfectißima Sacramenta.

CONCLUSIO V.

Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter significationem & collationem gratiæ, imprimunt characterem in anima.

COROLLARIA.

I. Hæretici negentes imprimi Characterem in anima, à prædictis Sacramentis, nulla ratione ducti, sola temeritate agitantur.

II. Character est qualitas supernaturalis absoluta, Spiritualis & indelebilis ab anima.

III. Character Sacramentalis, reponitur in Prædicamento Qualitatis, eiusq; specie, quæ est Potentia.

IV. Potentia ista, non est naturalis, sed supernaturalis, neq; ad naturales actus, sed ad supernaturales, ordinata, estq; non simpli-

ſimpliciter Potentia, ſed inſtrumentaliter, cùm ex ſe abſolutè, non habeat actionem, ſed ex principali agente.

V. Character Sacramentalis, non eſt Relatio rationis contra nonnullos, ſic aſſerentes.

VI. Character Sacramentalis, non eſt ita quid reale, vt ſit Relatiuum, eumq; dicere eſſe Ens rationis eſt Hæreticum.

VII. Character ſubiectatur in eſſentia animæ, tanquam in ſubiecto remoto, in Intellectu verò, tanquam in ſubiecto proximo.

CONCLUSIO VI.

Septem Sacramenta Nouæ Legis, producunt ſuos effectus ex opere operato, diſtinctos ab effectibus, ex opere operantis.

COROLLARIA

I. Diſplicet ſententia tenens, quòd Sacramenta Nouæ Legis, producunt ſuos effectus, non operando, ſed quod Deus ipſe ſolus, in anima hominis operetur; adhibitis tantùm Sacramentis. nam ſic nec eſſent ſigna, nec ſignata ſimul, nec propterea differrent à Sanramentis Veteris Legis.

II. De Fide eſt, & oppoſitum tenere, eſt Hæreticum: Sacramenta Nouæ Legis, verè & propriè producere ſuos effectus, non principaliter, ſed inſtrumentaliter.

III. Effectuum Sacramentalium productio, ex opere operato, non eſt creatio.

IV. Effectus iſti Sacramentales & gratiæ, educuntur de potentia obedientiali Creaturæ.

V. Quamuis in multis Scripturæ Locis, dicatur gratia creata, & non educta de potentia obedientiali Creaturæ; id tamen dici non ideò, quia ex nihilo producatur, ſed ideò, quia per gratiam homines in nouo eſſe conſtituuntur, ex non ente, tanquam ex nihilo.

VI. In Veteri Lege, quicunq; fuerant iuſti, fuerunt non per Sacramenta Veteris Legis, ex opere operato, ſed per actum fidei de futuro Meſſia, Chriſto Domino: quæ iuſtitia erat illis ex opere operantis.

VII. Gratia Sacramentalis ex opere operato, ideo differt à gratijs ex opere operantis, quia addit quoddam Diuinum auxilium, ad conſequendum finem Sacramenti, diſtinctum à gratia communiter dicta.

CONCLUSIO VII.

Septem Sacramenta Nouæ Legis, sunt Causa Physica, verè & propriè productiua gratiæ.

COROLLARIA.

I. Ista causalitas, verè & propriè productiua gratiæ, est, non ex proprietate naturali rei sensibilis, sed ex Diuina institutione, tanquam Dei instrumentum.

II. In Sacramentis continetur gratia, tanquam in causa instrumentali. est de Fide, & tanquam in signo signatum. Neq; tanquam in Causa principali, neq; tanquam in subiecto subiectatum.

III. Gratia, neq; continetur in Sacramentis tanquam in Causa Vniuoca, neq; tanquam in causa Æquiuoca.

VI. In Sacramentis contenta virtus effectrix gratiæ, est motus ipse pasiuus, ab agente principali, nempe à Deo receptus.

V. Virtus Sacramentorum, effectrix gratiæ Sacramentalis, est ex eo, quòd Christus Dominus operatus sit salutem nostram, Primò. Efficienter, inquantùm humanitas vnita Diuinitati, erat instrumentum omnium, pro salute humana consummatorum, 2dò. Meritoriè, nam ille solus potuit de condigno, & de rigore omnibus mereri. 3tiò Satisfactoriè, effundendo Sacratissimum sanguinem, pretium nostræ salutis.

VI. Sacramenta Veteris Legis, neq; per seipsa, neq; ex Pasione Christi habuerunt vim causandi gratiam iustificantem.

VII. Hæc virtus in Sacramentis, causans gratiam iustificantem, tunc incipit eße, quando motus inchoatur Sacramenti, desinit esse, quando motus etiam desinit.





~~Celejowic Pauli~~

~~Quaestio theologica de sacramentis in genere~~